



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm IV. Ad honorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

bus iurisdictionis, tum dic, quòd actus maiores, cuiusmodi est v. g. Concilium prouinciale convocare, exercere non possit acceptum palliũ, c. quod sicut 28. §. Præterea, de elect. At verò alios actus iurisdictionis v. g. causas audire, delegare, iudices creare, ordinandi, consecrandi potestatem dare non prohibetur, vti colligitur ex c. suffraganeis, 11. de elect. Vel agitur de actibus ordinis; tunc distinguitur: quæ ab Archiepiscopo inter Missarum solemnias, aut saltem cum Episcopaliibus ornamentis peraguntur, vti sunt ordinare, chrisma conficere, ecclesias consecrare, talia exercere non debet ante acceptum pallium, cit. c. quod sicut, §. Præterea: Quia ea non vt simplex Episcopus, sed vt Archiepiscopus facere censetur, cum tamen ante pallium acceptum, quo plenitudo Episcopalis officij designatur, pro Archiepiscopo se gerere non debeat. Quos verò actus ordinis Archiepiscopus stolâ tantum indutus exercet, vt si vasa sacra, aut cæmeteria benedicat, talia peragere potest, priusquam pallium acceperit.

2 NOTANDVM II. Licitum est quandoque veritatem palliare, seu dissimulare; sed falsitatem simulare nunquam licet; cum id species quædam mendacij sit. Qua de re dixi lib. 2. Th. mor. tr. 1. c. 11. n. 2. §. Porro, & lib. 4. tr. 3. cap. 13.

3 NOTANDVM III. Legatus & quilibet Officialis publicus Domini sui honorem defendere debet, & potius priuatum damnum permittere, quam vt publicæ potestatis, & auctoritatis diminutio fiat: quia bonum publicum præferendum est priuato.

CAPITVLVM IV.

Ad honorem.

PARAPHRASIS.

Solus Pontifex Romanus in omnibus Missarum solemnias vbique locorum pallium gerit, ad significandum ecclesiasticæ potestatis, quam gerit, plenitudinem. Alij autem, quibus pallium concessum est, eo

nec vbique, nec semper in Missarum solemnias vtuntur; sed in ecclesiis tantum suis, & certis diebus: quoniam in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocati sunt.

SUMMARIVM.

1. *Vsus pallij tantum esse debet inter Missarum solemnias.*
2. *Et certis diebus solemnibus iuxta consuetudinem cuiusque ecclesie Metropolitanæ.*

NOTANDVM I. Pallij vsus secundum canones esse tantum debet intra Missarum solemnias, vti etiam habetur in c. pallium, & c. contra, d. 100. & docet Hostiensis n. 6. Tria bona, ver. pallium.

NOTANDVM II. Pallium, quod Archiepiscopo mittitur, de corpore B. Petri acceptum dicitur, non quòd necessariò benedicendum sit super altari eius (vti Gl. existimauit c. significasti 4. de elect. ver. assumuntur, cui hic contradicit Hostiensis n. 3.) sed quia significat veluti particulam potestatis ecclesiasticæ, deriuatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ, vti colligitur ex cit. c. significasti.

QVÆRITVR hic: Quinam sint ij certi dies, quibus Archiepiscopo permittitur esse pallio vti in ecclesiis sibi subiectis? Respondeo. Eos numeratos esse hic à Gl. ver. ad honorem, Hostiensis §. Et quibus diebus. Vno verbo dici potest; Pallio Archiepiscopum vti posse in diebus solemnibus, spectata consuetudine cuiusque ecclesie Metropolitanæ;

CAPITVLVM V.

Ex tuarum.

PARAPHRASIS.

Compostellanus Archiepiscopus supplicauit Innoc. III. Pontifici, vt extra prouinciam pallio vti per Apostolicæ Sedis indulgentiam ipsi concederetur; propterea quòd frequenter extra prouinciam ob ecclesie sue negotia commorari debeat: & in hi-